



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 9. Responsum Synodi ad Eugenii querelas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

que querebantur aduersus Decretum de Sæcul. XV.
 electionibus, confirmationibus, & Annatis, A. C. 1436.
 quod pari modo, ac decretum de indul-
 gentiis abolendum inqueiebant, eo quod de
 utroque iusta Pontificis indignatio provo-
 cata esset.

§. IX.

*Responsum Synodi ad Eugenii que-
relas.*

Hisce Legatorum Eugenii querimoniis
 respondebant Patres, sua decreta ju-
 ste sancita esse, ac se in omnibus modo
 idoneo, atque in ejusmodi rebus usitato
 processisse; de eligendo autem loco Sy-
 nodum opportuno tempore provisuram,
 atque interim invicto labore unionis ne-
 gotium promoturam.

Imperator Græcorum, postquam ea,
 quæ in hac Congregatione actitata, at-
 que conclusa fuerant, Constantinopoli ac-
 ceperat, Patriarchis, atque Ecclesiarum
 Orientalium Metropolitibus necessarias de-
 mandatæ facultatis literas expediri iussit,
 illis consignandas, qui horum nomine ad
 Occidentalem Synodum mittendi forent.
 Basileenses quoque haud segnus, quæ
 Græcis promiserant, implere studebant,
 hancque in rem cum Nicolao de Monta-
 no agebant, qui constituto triginta mil-
 lium octingentorum ducatorum pretio
 qua-

Sæcul. XV. quatuor triremes, & trecentos ballistarios se suffecturum recepit; tale enim præsidium Synodus ad custodiam urbis Constantinopolitanæ Græcis sponderat.

§. X.

Congregationes de seligendo loco Concilii in caussa unionis celebrandi.

Agibatur adhuc de Concilii Oecumenici loco, ad quem Græci convenirent; in hoc enim solo negotii cardo vertebatur, & hac super re pluribus in Congregationibus totam, quæ superfuit, anni partem multum deliberatum, nihil conclusum est. Prælati duntaxat, quorum suffragia plusquam duas tertias æquebant, Basileam pro celebrando Concilio nominabant, ea tamen lege, ut si Græci hanc urbem recusarent, ad id saltem permoveerentur, ut Avenionem, vel in Sabaudiam se conferrent, quam ipsimet hæc inter urbes proposuissent: Ast hoc negotium nonnisi anno sequenti decisum videri debimus.

§. XI.

Alphonsus a Vitellescho Italia pulsus.

Interim Alphonsus Arragoniæ Rex nihil omittens eorum, quibus possset rebus
Euge